



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Episcoporum Hildesiensium

Letzner, Johannes

Hildesheim, [ca. 1690]

X. Ochwinus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64252)

contulit. Aram sanctæ crucis fundavit, ipsamque uti
& summam eximiis ornamentis condecoravit: cum-
que Diœcesin multum auxisset, & 25 annis optime
administasset, vivere desiit Anno 928. 10. octobris
sepultus ante Altare S. Cæciliæ apud Prædecessorem.

IX. DIETHARDUS Abbas Hirsfeldensis
Anno 928. ad Ecclesiæ Hildesienfis regimen evocatus:
ruinosam Gandersheimensem Ecclesiam, sumptu
suo, ex fundamentis magnificè eduxit, atque unde-
cim annis absolutam honori Sanctissimæ DEI Geni-
tricis consecravit Anno 939. Anno 948. Concilio In-
gelheimensi interfuit. Anno 937. Magdeburgi Ottoni
M. Regi adfuit. Tabulam bipedalem auream marga-
ritis plurimis distinctam in sui mnemosynon in Ca-
thedrali Ecclesia aræ Principi inseruit, anno 1664.
in alia ornamenta commutatam. Cumque 28. annis
Ecclesiam eximia cum laude gubernasset, migravit
e vita anno 956. 13. Septembris.

X. OCHWINUS e Monasterio Bergenfi
prope Magdeburgum a pedo Abbatiali ad Episco-
pale accersitus Anno 956. Pagum Giesen bonis Ec-
clesiæ adjecit. Anno 961. Ottonem Regem a Joanne
XII. Pontifice ad comprimendam Berengarii ty-
rannidem in Italiam accersitum comitatus est. Ei-
dem anno sequente, cum Imperialibus insignibus
Romæ ornaretur, adfuit, & diploma, donationes Ec-
clesiæ Romanæ ab antecessoribus Imperatoribus &
Regibus factas confirmans, suâ quoque subscriptio-
ne firmavit. Româ redux, Ticino seu Paviâ cor-
pus S. Epiphaniî Ticinensis Episcopi contulit, ejus-
demque honori sacellum extruxit, miraculis postea
cele-

celebre & certum infirmorum asyllum. Obiit anno
Episcopatus trigesimo, Christi verò 986. i. die Se-
ptembris.

XI. OSDAGUS è stemmate Nobilium de
Algermissen ortus, Cathedralis Ecclesiæ hujus Præ-
positus, non virtute minùs & prudentiâ, quàm san-
guine clarus, electus Episcopus: quo in munere,
singulari in DEUM proximumque charitate ac casti-
tatis dono eminuit: è bonis hæreditariis Majori
Algermissen Ecclesiæ cum triginta mansis donavit.
E vivis excessit anno 990. Regiminis quarto. 8.
Novembris in crypta terræ mandatus.

XII. GERDAGUS ex Cellerario ordinatus
Episcopus, Patribus morũ gravitate & vitæ mun-
ditiâ illustribus meritò accensendus: Bona Ecclesiæ
auxit adjectis pagis duobus Minore Algermissen, &
Sigbrechthusen sive Sibsen. Anno 993. ad limina
S. Petri visitanda Romam profectus, in reditu Cu-
mis tertio Episcopatus anno fati concessit. 7. De-
cembris. Corpus inde Hildesium delatum & ante Al-
tare D. Petri tumulatum.

XIII. S. BERNWARDUS Patre Comite
in Somerschenburgh, Matre Adalberonis Comitis Pa-
latini Filiâ natus, ab Osdago Episcopo adhuc ado-
lescens Tangmaro Presbytero & Scholastico com-
mendatus condiscipulos ingenii præstantiâ & soler-
tiâ longè antecelluit: scientiâ Philosophicâ, chymi-
câ, æconomicâ, architectonicâ, pictoriâ, ac de-
nique metallorum fundendorum, ducendorumque
peritiâ instructissimus. A Willigiso Archi-Episcopo
Moguntino majoribus ordinibus, servatis consuetis
tem-